ORATIO
DE DIVO ISIDORO,
INCLITO HISPANIARUN DOCTORE, ET ANTISTITI HISPALENSI,

ELABORATA

Á MICHAELE BRUNENQUE IN HISPALENSI COLLEGIO ISIDORIANO LATINÆ LINGUÆ PROFESSORE P.

HABITA

ÁD PATRES CONSCRIPTOS ECCLESIÆ HISPALENSIS

Á JOSEPHO SANCHEZ,

IN EODEM SEMINARIO COLLEGA

IV. IDUS APRILIS, SOLE AD OCCASUM INCLINANTE

ANNO Á SALUTE HUMANO GENERI PER CHRISTUM RESTITUTA M. D CCC IX.



HISPALI:

APUD D. JOSEPHUM VELEZ BRACHO.

MAGNIFICO VIRO.

EMMANUELI RAYMUNDO CAMI

ALME. ECCLESIÆ. HISPALENSIS

CANONICORUM ORDINI.

ASCRIPTO SERVATORIS. NOSTRI.

JESU-CHRISTI

SACERDOTI PIISSIMO.

HANC SANCTISSIMI PRÆSULIS ISIDO

LAUDATIONEM

IN BENEVOLENTIÆ TESTIMONIUM

DICARUNT

DEVOTISSIMI EJUS CLIENTES

Josephus Rosales et Saavedra.

Josephus Gonzal et Maraver.

ORATIO.

Illustrissimum Hispalensis Ecclesiæ Canonicorum Collegium,
Rectores hujus Seminarii Magnifici, et Amplissimi,
Professores Doctissimi, et Facundissimi,
Cives Nobillissimi, atque spectatissimi.
Vos denique Collegæ Florentissimi, amore, et vitæ ratione mecum conjunctissimi.

SÆPE, et multum, P. C. mecum cogitavi, quam difficile, et arduum sit oratoris munus; atque ex assidua hac cogitatione factum est, ut numquam illud assumere firmissime statuerem. Videbam enim, cum multa, et quidem magna in oratione esse debere, ut munus suum recte obire possit, túm etiam præstantissimos in ea facultate viros obtrectatoribus non caruisse. Itaque hunc locum contingere nunquam auderem, nisi illorum aucthoritas intercesisset, quibus ego necessario obtemperare debeo. Sicque ad hanc provinciam, quæ mihi credita est, administrandam accedo. Sed antea oro, obstestorque vos, P. C. ne, dum ego sanctissimi Præsulis Isidori merita præclarissima hac oratione comendando recenseo, parem his orationis vim atque facundiam à me expectetis. Quæ enim est tanta dicendi copia, quæ ejus virtutibus æquipararari possit? Nulla profecto. Quapropter nemo vestrum mirari debet, P. C. si hac oratione, qua imaginem viri sapientissimi atque Sanctissimi Præsulis Isidori, volo exprimere, nonnulla fuerint prætermissa, aut non eo, quo decet, loco, et ordine exhibita. Harum enim rerum scientia, atque cognitio captum pueri adhuc bonis litteris operam navantis omnino superant. Atque ideo pro vestra humanissima conditione, si quid peccavero, mihi condonate. Hac ergo spe fretus, et recreatus rem aggredior.

Sæculo sexto á nativitate Servatoris jam labenti singulari Dei, Optimi, Maximi beneficio Cartagine Nova Hispaniæ Isidorus nascitur parentibus nobilissimis, atque Christianæ Religionis professione clarissimis. Quibus brevi ostensum est quodam portento, illos non quemlibet puerum sibi educendum sustulisse. Nam cúm quadam die ejus nutrix ab eo in viridiario ædium lectulo decumbenti, atque dormienti recessiset, ingens multitudo apum ad illius os convolavit, atque brevissimo temporis spatio favum melis in eo efformarunt. Ex quo parentes ejus conjecerunt, Isidorum aliquando in eloquentia maximum futurum. Neque eos sua fefellit opinio. Sed vitæ ejus curriculum persequamur. Cùm illam ætatem attigisset Isidorus, quæ litteris aptissima creditur, ad ludimagistrum mittitur, ut prima rudimenta imbiberet; sed ea erat ingenii tarditate, ut nulla diligentia quidquam in litteris proficeret; ob id quadam die mæstus ab schola recedebat, secum cogitans, se operam perdere, atque decernens litteris æternum vale dicere. Dum hæc secum versat, puteum aquæ offendit in via, cujus labrum lapideum ex assidua restis fricatione, usque adeo attritum, et excavatum erat, ut puero deffessos atque sitim aqua restinguenti attentionem excitaret, et sic secum cogitaret si crebra rei blanda fricatio in durissimo lapide tantum valuit, ut illum attereret, atque excavaret; quantum in studiis litterarum assidua animi applicatio atque contentio valebit? Hac cogitatione totus ocupatus, Deo interius sua gratia excitanti, concilium suppetit, omni animi contentione in litteras incumbere. Quodque fidelissime præstitit. Nam ex illa die in ediscendo, meditando, totum tempus insumebat. Quo factum est, O mira rerum mutatio! ut qui antea in ludo litterario cæteris esset despectui atque ludibrio, idem deinceps esset admirationi atque exemplo.

Sic duxit Isidorus vitam, quoad ætate maturiori ad illas litteras animum appulit, quæ ob suam præs-

tantiam bonæ, humanæ et ingenuæ appellantur. Quæ sicut in illarum studioso ingenium aptum, et vividam imaginandi facultatem requirunt; sic etiam, nisi peritissimi magistri disciplina ipsi accedat, plerumque carbones pro margaritis, et nubes pro Junône complectitur. Sed qui fieri poterat, ut Isidoro talis institutor deesset, cùm illum Deus ad Ecclesiæ suæ regimen, ad Christianæ vitæ normam, ad litterarum splendorem destinaret?

Habuit quidem, habuit Isidorus magistros non quoslibet ex infima plebecula excitatos; sed nobilisimos, atque clarissimos fratres Leandrum, et Fulgentium, quorum vitæ exemplis, atque doctrinæ præceptis institutus atque formatus fuit. Atque qualem et quantum ex hac virtutum, et litterarum officina evasisse, ex ejus vivendi ratione quisque facile conjicere poterit. Sic vita erat: virtutem colere: fugere vitia: animum ad litteras summa contentione adpellere: dissolutorum conventicula fugitare: piorum amicitiam quærere, atque colere, his sese dedere: fácile omnes perferre, ac pati cum quibus una erat, eorum obsequi studiis, adversus nemini: numquam se præponens illis. Ita facillime sine invidia laudem invenit, et amicos peperit. O institutum vitæ admirandum, et adolescentium maxime studiossorum imitatione dignissimum! Sed id mea quidem sententia magis mirandum: adolescentem generosum in amplissima civitate morantem, quæ innumeris et variis illecebrarum generibus abundabat, ab instituta vivendi ratione numquam abhorruisset. Non illum spectacula, non Nundinæ, non muliebres mundiciæ et confabulationes, non mollissimæ illarum voces et cantilenæ, quibus adolescentium animi tanquam Sirenum cantu allici solent, á sancto proposito unquam dimoverunt. Sic probatus gradatim ad Ecclesiasticos Ordines promovebatur, quod Sacerdotii dignitate decoratus fuit. Hujus munera ita implevit, ut in eo perfectissimi Sacerdotis imago cerneretur: Oratio ad Deum frequens

ac fervens: Divinorum Librorum, et Priscorum Doctorum, quos Patres Ecclesiæ appellamus lectio ac meditatio: populi instructio et ædificatio illum occupabant. Nihil enim magis in priscis scriptoribus mirandum cenceo quam admirandos illos in litteris progressus. Nám ea ætate vixerunt, qua librorum comparatio erat dificilima; tùm quia non tanta erat illorum copia, cùm omnes necessario manu essent exarandi á notariis, arte typografica nondum inventa; tùm etiam quia sine magnis sumptibus mediocris illorum copia, haberi non poterat. Ad hæc scribendi ratio non eadem ac nostra erat; nam litteræ nullo vacuo spatio disjunctæ erant; sed continuo ductu depictæ, nulla habita ratione distinctionis verborum, et notarum quas nos ex orthographia discimus. Quæ omnia quantum studiossos retardarint, quisque cognoscit. Itaque si recentes isti Critici in judicandis vetustis scriptoribus, præ oculis hæc haberent, quos offendunt lapsus, non tam severe reprehenderent: atque ob id ipsi, qui Criticos agunt, Aristharco indigent. Sed á diverticulo in viam. Cùm Isidorus sanctitate vitæ et litterarum peritia omnibus sese commendaret, essetque gratissimus accidit, ut ejus frater Leander, qui Hispalensi Ecclesiæ prærat, communi Civium dolore moreretur. In hac tanta jactura atque calamitate nullum ipsis aliud solatium erat, nisi Isidori perspecta, ac probata vitæ sanctitas. Eum igitur convenerunt, ut defuncti fratris sedem occuparet. Isidorus nolle, refugere tantum onus, sese ocultare: illi contra instare, communem omnium utilitatem ipsi objicere, ad illum itare, Catholicum Regem Recaredum, qui primus Hispaniarum Regum hoc titulo appellatus, et decoratus est, adire, Isidorum sibi Presulem lacrimis, et clamoribus petere, ac postulare. Isidorus igitur cognoscens in summa hac consensione Dei voluntatem, in sedem fratris tandem se collocari patitur.

Sed vos, P. C. qui me hactenus Isidori virtutes commemorantem summa humanitate audivistis, eadem,

quæso, ejus Pastoralem sollicitudinem exponentem prosequimini.

Anno igitur sexcentessimo primo á partu salutari illibatæ Virginis Isidorus Hispalensis Ecclesiæ sedem summo omnium plausu occupavit, atque in ejus regimine ita se gessit, ut omnes in eo dignissimum Antistitis Leandri defuncti germanum fratrem cognoscerent. Nam ad eam vitæ Episcoporum normam, quam Apostolus tradit, vitam suam studuit conformare. Qui docet Episcopum irreprehensibilem esse debere, sanctum, et justum. Quid ergo in Isidori vita reprehensione dignum fuit ? Qui ita Episcopi munera omnia implevit, ut dignissimus Apostolorum succesor omnibus videretur. Nam pristinum animi fervorem, quem ante Episcopatum ostendit, non modo non minuit, sed etiam auxit. Quanta charitate Dei et hominum flagravit ? Erant eo tempore immortalis Dei templa plurima, temporum injuria collapsa: quæ omnia suis sumtibus erexit. Alia etiam á fundamentis de suis facultatibus jussit construere, quæ ornavit, ditavit, atque omni sacra supellectili instruxit. Egenorum et pauperum miserias omni studio, ac diligentia sublevabat. Sed qui cæteris adeo erat largus, et liberalis, ut dies integros in elargiendis elemosinis consumeret; tam parcus sibi erat, ut victu vili vitam aleret, et veste humili esset contentus. Ast sicus in civili Republica variæ sunt civium classes, et varia etiam illorum officia; sic etiam in Christiana Republica varia sunt Christianorum munera, variæ illorum virtutes pro varietate statuum, aliæ aliis excellentiores. Cùm ergo Episcopus cæteris excelsior sit, atque suo munere præstantior, sic etiam sunt quædam virtutes ita ipsius propriæ, ut nulli alio conveniant. Nam cùm Pastores ipsi soli sint, Pastorum officia ipsis solis conveniunt. Hinc gregem sibi creditum ad pascua salubria deducere debent, à noxiis avertere, errantes oves reducere, atque infestissimos gregi lupos abigere: sive quod in idem recidit: Fidei puritatem tenere, eam populum docere,

peccantes corrigere, fidei adversarios impugnare, atque revincere. Atque hæc quidem sunt, quas dixi, propriæ Episcopi virtutes, nam reliquæ cum cæteris ipsi communes. Sed hæ virtutes in homine vulgari, et communi inesse non possunt. Hæc enim ab animo generoso, excelso, humana omnia contemnente, uni Religioni prospiciente, atque suo acumine bona à malis discernente proficiscuntur. Atque hæc officia ita Isidorus plenissime implevit, ut rem atento animo consideranti mirandum sit, unum hominem tantis rebus intentum, nullam umquam prætermisisse. Nam si populus in morum doctrina erat instituendus; Isidorus instituit. Neque enim tantum ad prædicationis ministerium idoneos viros deligebat; sed ipse sepæ per se ipsum præstitit. Plures enim ad populum conciones habuit, et omnes Paulinam eloquentiam spirantes. Si cum Chatolicæ veritatis hostibus manus conserendæ erant, Isidorus conseruit. Erant tunc temporis Hispania væteri, et pestilentissima Arii hæresi infecta: quæ non modo Occidentis verum etiam Orientis Ecclesiam assiduis et magnis dissidiis turbaverat: quæque tam altas egerat radices, ut illam evellendi nulla spes affulgeret; quin imo ipsis remediis malum ingravescebat. Neque scriptis confutationibus plenis, neque frequentibus Episcoporum comitiis, deleri poterat. Neque id mirandum, cùm Imperatores, et Reges patronos invenisset.

Erat ea ætate Episcopi munus usque adeo difficile, ut non sine magnis incommodis posset expleri. Nam qui veritatem aperte profitebatur, et errores illi adversos impugnabat: aut Arianorum artibus mors illi parabatur, aut eorumdem machinationibus exsilio multabatur. Ob id ergo Sanctissimi Præsules, et Isidori fratres, Leander, et Fulgentius exularunt. Sed tantum abfuit; ut Isidorus ad refellendis hæreticorum erroribus abstineret, ut fortius illis impetentibus, ac mortem illi minitantibus impavidus resisteret. Si disciplina Ecclesiastica dilapsa erat re-

paranda, Isidorus reparavit. Plura ad id Episcoporum comitia ab ipso coacta, in quibus ejus pietas atque eruditio eluxit. Si Sacerdotum et Eclesiasticorum officia exponenda; Isidorus exposuit. Adeantur ipsius libri de officiis, et sententiarum inscripti, qui omnem laudem superant. Nam in difficillimis quæstionibus, et causis necessario evolvendi, si veritatem volumus invenire. Quid hoc ¿Frontem contrahitis? Diffiditis? Tu auges, dicitis? Audite quæso, non me; sed Leonem Quartum, Summum Pontificem ad Britanniæ Episcopos ita scribentem: „Sicum Hieronimi, et Augustini ita Isidori dicta retinenda esse, ubi contigerit inusitatum negotium, quod per Canones minime definiri possit, „ Quid nunc? Creditis? Miramini? Sic se res habet. Sunt enim illi libri veluti ditissimus Thesaurus, ex quo maximas Canonicæ doctrinæ opes cuilibet depromere licet. Quæ cùm ita sint, sæpe mirari soleo, plerosque Antiquorum Patrum scripta diligenter evolvere, legere, meditari: alium Augustinum, alium Hieronimum, alium Gregorium, Bernardum alium: Isidorum nullum, aut rarum. Nescio, quo adverso sidere id fieri dicam. Nam ejus scripta tot sunt, tamque varia; ut in illis tamquam in lauta atque opipara mensa dapes uniuscujusque palato gratissimæ paratæ inveniantur. Si te delectat in scriptis orationis nitor, venustas, perspicuitas: hoc sale omnia ejus opera sunt condita. Antiquorum populorum origines, casus, ruinam aves scire? Ab mundi exordio usque ad suam ætatem Isidorus pulchrè historiam texit. Sed quorsum hæc? Satis est dicere: in Etymologiarum libris omnium facultatum orbem inveniri. Hic eloquentia Platonem se exhibet; hîc cùm medendi corporibus præcepta tradit, Apolo, aut Æsculapius vobis videbitur; dum antiquorum populorum leges tractat, alterum Solonem, aut Lycurgum credetis; dum.... Dies, vox, et latera me deficerent, si vellem omnes artes, et facultates, quæ in hisce libris traduntur, enumerare.

Cum Isidorus tot volumina scripsisset, atque innumera pietatis exempla dedisset, proximæ mortis indicia habere cœpit. Nam superiori valetudine amissa, molestissima febris illum vexabat. Sicque ad vitæ discesum vigiliis, abstinencia, carnis macerationibus se parat. Morbo gravius illum affigente, atque vexante, ad Basilicam Martiris Vincentii se deferri jussit. In qua cilicio indutus, et cinere humi prostratus Dei misericordiam demissa oratione sibi imploravit; domum delatus, sacro Jesu Christi corpore percepto, morbo ingravescente, animam Creatori suo reddidit anno redemptionis nostræ sexcentesimo trigesimo sexto, Quantus mœror, vulgata ejus morte, omnium animos invaserit, facilius mente concipitur, quam verbis exprimi potest. Mœret gravissimus Sacerdotum ordo, lugent castissimæ Dei Virgines, Matronæ nobilissimæ atque honestissimæ afflictantur, omnes Civitatis ordines lacrimantur, et tam beneficum, tam salutarem, tam mansuetum Pastorem desiderant. Quocumque oculos convertas, mœstitiam, gemitus, lacrimas videas.

Ea est, P. C. ea est hominum, qui in Republica cùm laude vixerunt, conditio atque sors; ut sicut viventes cæteris erant exemplo, et admirationi, sic vita functi, discessu suo omnes mœrore afficiant. Sed ut æquum fuit illos, qui Isidorum viventem cognoverant, quid ejus præclara virtutum exempla viderant, qui facundam ejus vocem resonantem audiverant, ejus mortem dolere, atque lamentari: sic nos decet gaudere, et nobismetipsis gratulari: propterea quod Isidorus è maris humanæ vitæ fluctibus, atque procellis à Deo ereptus, portum tenet; et eam jam diu vitam vivit, quæ nullis fortunæ vicicitudinibus est obnoxia, quæ nulla detrimenta patitur, quæ nullis incommodis urgetur; sed tranquilla est, perpetua, beata.

Restat, ut nos, qui Isidorum ob eximias ejus virtutes colimus, et tamquam nostrarum litterarum

singulare lumen suspicimus; et ut Hispalensis Ecclesiæ decus et ornamentum veneramur, atque annuis solemnitatibus celebramus, ad ejus inculpatæ vitæ rationem nostram componamus. Ad vos, Collegæ mei, ad vos maxime spectat hoc virtutum omnium exemplar intueri, qui in hoc Collegio Isidori nomine erecto, defenso, tutato, vitam agitis, ut in illud tamquam in speculum inspicientes, sic vitam instituatis, ut hoc Clericorum Seminarium cum litteris, cum sanctis moribus efforescat; ut hæc amplissima Civitas Hispalensis, quæ nulli nec Cœli temperie, nec soli feracitate, nec ingeniorum præstantia cedit; sed inter primos atque pulcherrimos non modo Bœticæ, et Hispaniæ, sed etiam totius orbis ocellos numeratur, hunc etiam splendorem suis laudibus adjungat.

Tu vero Sanctissime Præsul, qui supra cælestes orbes evectus, lactus contemplaris auctorem tuum, assiduis precibus illum precare, ut perversan Gallorum gentem Hispaniam nostram devastantem, cives interficientem, matronas et virgines honestissimas opere et exemplo corrumpentem, templorum et hominum divitias diripientem, sacra humanaque omnia conculcantem, nostram miseram servitutem intentantem, à templis, à tectis urbium ac mænibus à vita fortunisque civium omnium arceat atque dispellat, ut optatissimus atque suavissimus Ferdinandus nobis reddatur, paceque tranquilla diu regnet, eoque salvo et sospite innumeris annis fruamur.

DIXI.